

meipsum illi. et propter quam solam fide corda mundamus. ut simus beati mundi cordes. quoniam ipsi deum videbunt. et si qua alia de ista visione dicta sunt que copiosissime sparsa per omnes scripturas inueniunt. quisquis ad eam querendam oculum amoris intendit. sola est summum bonum nostrum. cuius adipiscendi causa precipimur agere quicquid recte agimus. Visio vero illa filii hominis que pronuntiata est. cum congregabuntur omnes gentes ante eum et dicent ei. Domine quoniam te vidimus esurientes et sitientes et cetera. nec bonum erit impijs qui mittentur in ignem eternum. nec summum bonum erit iustis. Adhuc enim vocat eos ad regnum. quod eis patum est ab initio mundi. Sicut enim illis dicit. ite in ignem eternum. ita istis. venite benedicti patris mei. possidete patum vobis regnum. Et sicut ibunt illi in combustionem eternam. sic iusti in vitam eternam. Quid est autem vita eterna. nisi ut cognoscant te inquit unum verum deum. et quem misisti ihm christum. Sed iam in ea claritate de qua dicit patri. quam habui apud te priusquam mundus fieret. Tunc enim tradet regnum deo et patri. ut intret seruus bonus in gaudium domini sui. et abscondat eos quos possidet deus in abscondito vultus sui a conturbatione hominum. eorum scilicet qui tunc conturbabuntur audientes illam sententiam a quo auditu malo iustus non timebit. si modo protegatur in tabernaculo. id est in fide recta catholice ecclesie a traditione linguarum id est a calumnijs hereticorum. Si vero est alius intellectus verborum domini quibus ait. quid me interrogas de bono. nemo bonus nisi unus deus. dum tamen non ideo credatur maioris bonitatis esse patris quam filii substantia. secundum quam verbum est per quod facta sunt omnia nichilque abhorret a sana doctrina se cum utamur non uno tantum sed quotquot repiri potuerint. Tanto enim fortius convincuntur heretici. quanto plures eorum patent ad eorum laqueos evitandos. Sed ea que adhuc consideranda sunt. ab alio

iam petamus exordio. ¶

Incipiunt capitula libri secundi. ¶

De regulis secundum quas scriptura de patre loquitur et filio. ¶

De his scripture locis de quibus dubium est an propter assumptam creaturam minorum iudicent filium. an vero hoc tantum quod licet equalem patri tamen et de patre sic doceat

De his que spiritum sanctum non minorem patre indicant sed tantum quod de patre procedit.

De clarificatione qua et pater filium glorificat et filius patrem. ¶

Quomodo intelligenda sit missio. siue filii aut spiritus sancti. ¶

Quid sit quod nunquam legitur pater maior spiritu sancto. aut spiritus sanctus minor patre. ¶

Propositio questionis de multimodis apparitionibus dei quarum quedam missiones appellantur cum pater missus non queat dici. sed aut filius. aut spiritus sanctus coopante tamen in omnibus trinitate. ¶

De his que naturam dei visibilem putaverunt

De his que filium volunt etiam ante carnis assumptionem fuisse mortalem. ut solus pater immortalitatem habere credatur. ¶

An indiscrete deus trinitas personis apparuit. an aliqua ex trinitate persona.

De tribus viris abrahe visis. cum quibus. sicut cum domino deo loquitur. ¶

De duobus angelis que in humana forma apparuerunt loth. et in quibus dominus singulariter appellatur. ¶

De visione moysi qua deum vidit in coreth per ignem in rubo. ¶

De apparitione dei in exitu israel de egipto. ¶

De his que diuinitus gesta sunt coram moise in monte sina. ¶

Utrum deus per suam substantiam moysi apparuerat. an per visibilem creaturam. ¶

Quod ex persona domini ihesu christi dicta intelligenda sunt moysi. ponam te super petram et auferam manum meam et posteriora mea videbis. ¶

De visione danielis in qua illi et patris et filii persona apparuit in specie corporali.